



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

**Hieronymi Dandini Cæsenatis E Societate Iesv De Corpore  
Animato Lib. VII.**

**Dandini, Girolamo**

**Parisiis, 1611**

Digressio 16. De iis, quæ ex putredine gignuntur, ad tex. com. 38.

---

[urn:nbn:de:hbz:466:1-95641](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-95641)

COMMENTARIUS XXXVIII.

**D**idum est in superiori Commentario, cur Philoſophus initio ſtatim tractationis huius de vegetantis animæ facultatibus primam eam commemoravit, quæ omnium poſtrema eſt: genitricem inquam. Eandem ob cauſam licet importuno videtur ac præpoſito loco, ommiſſa tantisper nutritione, & accretione procreationem ſibi ſimilis ſubiungit eſſe naturaliſſimam viuientium operationem. Quibus etiam confirmat tum id, quod dixerat, vegetantem facultatem omnium primam, & comuniſſimam eſſe; quod eius actionis principium ſit, quæ naturaliſſima viuentibus eſt. Tum etiam genitricem facultatem ad vegetantem animam pertinere; de quo fortalle quæſpiam dubitaſſet, multa videns vegeta re quæ non generantur probatio autem eſt, quæ facultas ea, cuius opus naturaliſſimum eſt viuentibus cunctis, illius animæ eſſe debet, quæ prima eſt & communis cunctis.

Naturaliſſimum Simplicitatis interpretatur principaliffimum: Philoſophus ſinem & quaſi ſcopum, quem ſibi maximè natura proponit. Verius fortalle naturaliffimum dixerim, aut quod omnia, vel etiam ea, quæ merè naturalia ſunt, eam quoquomodo habent; dum ignis quoque & naturalia cætera ſibi ſimile gignunt: aut propter maximam naturæ propenſionem & appetitum, quo ad actionem eam viuentia omnia ſollicitantur: aut demum quod tota hæc operatio eò referatur, vt natura, quæ in indiuiduo caduca ſunt & mortales, perpetuitatem quandam in ſpecie conſequantur. Quare, vt nihil eſt magis cuique rei naturale, nec quidque tantopere procurat vniuerſa natura, quam eſſe: Ita hæc operatio in eum ſinem inſtituta naturaliffima eſt. Vt enim magis naturalis indiuidua ſit conſeruare ſeipſam per nutritionem: Naturæ tamen ſpeciei naturalis magis eſt procreatio, qua conſeruatur ipſa.

Propterea non planta modo plantam, ſed animal quoque procreat animal. Eſt enim gignendi facultas vegetantis animæ propria ſit; neque inferius, ac deterius poſſit ſuperius quidpiam, & melius ſe procreare: Dum tamen facultas hæc in animali cum ſuperioribus quoque virtutibus coniuncta eſt, atque ab illis perfectæ & excolta; Immo non tam vegetantis, quam ſentientis, & verò in homine intelligentis animæ virtus (Hæc enim ſola eſt in his viuentibus anima quæ omnia moderatur.) Et præterea non plantali, ſed animali ſemine vitur, cuius virtus in ſpiritu in animalis corpore optimè temperat: Quid mirum, ſi animal quoque atque adeo hominem producere poſſet? Etenim animalis nomine hominem quoque comprehendit Philoſophus, qui genera viuentium omnia completi voluit. Hominem porò quomodo gigni dicamus ex ſemine, alibi expoſitum eſt. Nam eſt anima eius actione ſemini non producatur, diſponitur tamen materia & præparatur corpus cum quo ea coniungi debet; dumque harum

**A** diſpoſitionum beneficio coniungitur; cauſa, quæ diſpoſitiones produxit, verè dicitur coniunctum illud produxiſſe.

Hinc ceſſat Philoſophi dubitatio, an ſi omnibus naturale eſt ſibi ſimile procreare, inſit etiam in irrationali, hoc eſt ſentiente anima vis procreandi, ſenſuque ſenſum procreet, & ita iram, & in reliquis ſimiliter: An verò vegetans ſentientem, & deterius id, quod eſt melius, producat. Cui parum ille accommodatè reſpondit: Sed non eſt neceſſe ſingula perſequi, modo rem ipſam teneas.

**B** Cæterum nec omni tempore, nec in viuentibus omnibus hæc operatio cernitur. Sed tres omnino conditiones poſtulat. Primam: vt viuentia ſint in ſua ſpecie perfectæ, ad eamque magnitudinem & membrorum omnium granditatem venerint, quæ ipsis conuenit. Cùm enim communicare alteri eſſe, perfectionem ſignificet, non niſi perfectorum eſſe poſeſt. Quæ autem imperfecta ſunt, vt pueri & recens nata, ſubſtantiam, eam omnem; ex qua aliud gignere debuiffent ſibi ipsis apponunt, vt perſiciantur. Neque hæc operatio, quæ ad conſeruandam in ſpecie labilem & caducam naturam eſt inſtituta, danda fuit viuentibus recens natis, ſed ad vltiorem duntaxat ætatem pronectis. Magno item calore opus habet, vehementi virtute, naturæque omnino robuſta. Propter has enim cauſas, nec tenella plantæ, nec animalia in prima ætate procreant. Alteram; vt viuentia non ſint mutilata, iſs ſcilicet partibus, quæ ad procreandum neceſſariæ ſunt; ſiue vt opportunè elaboretur & perſiciatur ſemen; ſiue vt poſt elaboratum & perfectum effundatur, quemadmodum ſpadones. Inter hæc mulos etiam Philoſophus numerat. Inſecondi enim ſunt. Et ſiue genitalia inſtrumenta deſint, ſiue gignendi virtus; perinde mancum animal dixeris. Quamquam & hoc animal interdum ſecundum eſſe narrat Philoſophus in 6. Hiſtoriæ libro cap. 22. 24. & 36. Et in ſecundo de ortu ſub ſinem, & de admirandis auditionibus particula 68. Verùm aut ſunt diuerſi generis, aut abortum patiuntur, nec factum poſſunt abſoluere. Tertiam; vt non habeant ſpontaneam generationem, hoc eſt ex putredine ſponte non prodeant; vt vermes, pulices, cimices, & ſimilia. Quoniam hæc cùm manifeſtam & conſpicuam efficientem cauſam non habeant, ſponte videntur naſci: Quod materia, vt eſt in tex. 31. libri ſeptimi Metaph. à ſe ipſa poſeſt eo motu moueri, quo ſemen mouet.

Quæ ad procreandam apta.

Mulorum periles.

DIGRESSIO XVI.

De iſs, quæ ex putredine gignuntur.

**A**lius eſt hic gignendi modus, qui in ſuperiorem cauſam reuocari debet; quæ generali quadam agendi virtute, qua inferioribus hiſce præeſt, acceperit à Deo quaſi curam conſeruationis & perpetuitatis rerum omnium inferiorum, & earum præcipuè, quæ ob corporis imperfectionem & organorum procreatione neceſſa-

Ex putredine à quo gignitur.

Quod  
via g  
manus.

riorum ineptitudinem suam naturam alterius similis productione conseruare non poterant. Diuina hæc virtus cælestis est, quæ in putrescente materia qualitates ita fungit ac temperat, vt si opportunè disposita ad formam aliquam, & verò etiam viuentem atque animatam suscipiendam. De quarum procreatione duo potissimum disputantur.

Alterum; quænam sint ea viuentia, quæ hoc modo gigni possunt. Cuius difficultatis mihi quidem perfacilis explicatio videtur. Quoniam cum tota hæc procreatio coniunctione fiat & temperatione qualitatum in putrescente materia; ea nimirum procreari, quorum opportunam & sufficientem dispositionem poterit in ea calum producere. Non igitur perfectiora viuentia, sed abiecta quædam & imperfecta quoque hunc habebunt ortum. Quæ plurimum à prima causa in extremam quandam & infirmam viuentium formam recesserunt. Quæ enim ratione possit cælum perfectius corpus organizare, cum tanta membrorum distinctione, varietate, ordine, planèque admirabili proportionem, quam in animalibus plerisque cernimus? Mihi quidem certè à naturali agente, quod necessariò & non cum libertate operetur, id fieri non posse videtur, quod à mundo condito tot annorum millibus factum non fuerit. Quin potius cum numquam perfectum illud viuens vltimum fuerit ex putredine procreatum; ne id quidem fieri posse credendum est. Quo namque argumento id naturalis Philosophus cognoscet, quod tanto temporis intervallo numquam fuit factum? Sanè animalia perfecta primo ortus sui tempore non quolibet alimento sustentantur, sed parentum ope ac subsidio aliquandiu indigent. Quamuis igitur ratione nutrietur illud animal, quod fuerit à cælo productum.

Itaque ineptè prorsus Auicenna in libro de diuino homines scripsit & animalia cuncta ex putrescente materia, aut ex terra nasci posse. Quod Petrus quoque Pomponatius sentit, & confutauit Antonius Bernardus sectione nona libri 29, euerfionis singularis certaminis: Et Aristoteles primo libro de animalium ortu capite primo quædam esse affirmavit, quæ ex solo procreentur semine; quædam, quæ ex sola putredine; alia, quæ tum ex semine, tum ex putredine producantur. Si enim quædam sunt, quæ ex solo nascantur semine (Quæ sanè sunt perfectiora) manifestum est, ea non posse ex putredine propagari.

An gignitur ex semine, & putredine sint eiusdem speciei.

Alterum, quod disputatur, est; An cum quædam vtroque modo nascantur; ea, quæ ex semine, & ea, quæ ex putrefactione gignuntur, eiusdem speciei sint. Negavit Auerroës in Comment. 46. libri 8. Phys. & Commentario ad caput primum libri primi de animalium ortu, & multis persequitur M. Antonius Zimara in sua Tabula, verbo, Homo non potest generari &c. Videtur autem aperta fuisse Philosophi sententia in capite primo de animalium ortu. Nam ea, inquit ex putrescente materia oriuntur, aut non procreant, aut aliquid à se diuersum procreant. Si enim eiusdem speciei aliquid procrearent, ipsa quoque fuissent ex semine procreata. Quoniam ea, quæ sunt eiusdem speciei eundem habent procreationis

modum. Si autem diuersum aliquid procreant illud sanè credendum est, non posse aliud procreare. Abiremus enim in infinitum, atque infinite forent imperfectorum animalium species. Plura ab Auerroës, eiusque Sectarioribus adduntur.

Sed malo reliquorum pene omnium iudicium sequi, animaliaque hæc omnia eiusdem esse speciei affirmare, & eandem posse speciem ex semine & ex putredine procreari. Aristoteles in text. 23. libri 7. Metaph. Sanitatem dixit & artem, & casu effici posse; quemadmodum eadem animalia fieri possunt ex semine & non ex semine. Et rursum in textu 31. ea animalia posse & semine & casu procreari, quorum materia potest à se ipsa moueri eo motu, quo illam mouet semine: Quorum verò non potest, ea non posse aliter generari quam ex semine. In 6. autem libro de animalium historia capite 15. quosdam scripsit nasci ex terra, & limo atque ex coitu procreari, eiusdemque esse naturæ. Et apes addit Philoponus ex minorum corporum putredine genitas generare totis semen immittentes. Quænammodum etiam in 64. problemate sectionis 10. Mihi de identitate speciei loqueretur, ineptè quaereret, quam ob causam animalia à quadam non solum ex coitu, sed sponte natura possint procreari; alia vero ex coitu dicitur, vt equus, & homo. Quin in primo libro de animalium partibus capite primo hominem procreantem & hominem genitum eiusdem esse speciei pronuntiauit; Et in alijs quoque speciebus eadem interdum arte fieri & casu, seu sponte, vt simonem; idemque animal & coitu & sponte propagari. Quo loco manifestum est, sermonem esse de identitate speciei, qua homo hominem gignit. Denique in tertio libro de animalium procreatione capite 11. varias exponens plantarum procreationes, bucinas, purpuras aliaque similes plantas affirmavit eandem & propagatione & sponte fieri. Quod in primo libro de plantis capite primo confirmavit Theophrastus, quædam scribens & sponte fieri, atque in eadem partem esse plantarum & animalium rationem. Quod in vtroque viuentium genere quædam ex solo semine; alia non nisi sponte; quædam vtroque modo gignantur. Iam eandem prorsus cernimus esse operationem, eadem accidentia omnia, vtrovis modo procreentur: Nec quidquam omnino habemus, ex quo naturæ, & essentia diuersitatem colligamus.

Nam quod obijciebatur, animalia genita ex putredine, aut non gignere, aut aliquid à se diuersum gignere; si vniuersè & generaliter accipiat, pugnat profecto cum sensu & experientia. Quoniam in nuper fabricatis nauibus, apibus huiusmodi locis conspiciuntur mures ex putredine orti, cum aliunde non fuerint compositi, nec ante illos adessent alij, ex quibus nascerentur. Eos autem constat illos mures procreare quamuis femina prægnans occisa agnoscitur habere mures in vtero. Idem de apibus dicendum videtur, quæ ortæ ex ducibus, qui specie differunt, eiusdem speciei apes progignunt. Itaque non desinat, quæ respondeant rationem illam, qua Aristoteles probauit animalia ex putredine orta, si procreent diuersum genus procreare: Quia, si eiusdem speciei esset procreatio, ipsorum quoque procreatio

creatio eiusmodi esse debuisset; esse probabilem. Quoniam probabile, non tamen semper necessarium est, filios eodem, quo parentes modo nasci. Simili enim fere argumentatione (quanti tamen ipsemet logicam, hoc est probabilem esse faretur), in secundo libro de animalium ortu capite 6. mulos probavit non gignere, quia non possunt gignere mulum: Non enim gignitur mulus, nisi ex equo & asino: Neque aliud animal diuersum; quia ex mare & femina eiusdem speciei nasci non potest nisi filius eiusdem speciei. Tota enim hac argumentatio per similes est, quae probavit animalia genita ex putrefactione non gignere sibi simile, sed aut nihil, aut diuersum. Quoniam filiorum & parentum ortus similis videtur esse debere.

Verum alia quamam mihi videtur esse illius loci explicatio. Tria omnino sunt animalium genera. Quaedam perfectissima, quae non nisi ex femine procreantur, ut homo & equus. Quaedam imperfectissima, quae ex sola putredine nascuntur, ut musca, pulices, pediculi. Alia demum inter haec media, quae utroque gignuntur modo, ut mures, rana, & similia. Cum enim paulatim in omni operatione progrediatur natura; ab ijs, quae ex sola putredine nascuntur, ad ea, quae solo femine conseruantur, voluit per ea progredi, quae vtrumque procreationis modum haberent. Dum igitur affirmavit Philosophus, ea, quae ex putredine oriuntur, aut aliud non gignere, aut aliquid diuersae speciei producere; de ijs non loquitur, quae & ex femine & putrefactione nasci possunt. Quia, si haec ex femine quoque nascantur, verisimile est ex maris & femina coniunctione in eadem specie nasci. Et quamvis eorum progenitores ex putredine fuerint nati; id tamen fuit ex accidenti; quoniam poterant ex femine quoque procreari. Verum de ijs loquebatur, quae non alio modo, quam ex putrefactione, nasci possunt. Cum enim ex femine produci nequeant, si coeant, non possunt sibi simile procreare; quoniam simile illis animal produci non potest, nisi ex sola putredine. Aut igitur nihil omnino, aut aliquid diuersum gignent.

Hanc porro sententiam mente Philosophum concepisse, dum ea verba pronuntiavit: Tum ex illis ipsis verbis colligo: Sic enim est apud ipsum. At vero, quae non ex coitu, sed putri materia oriuntur, generant quidem, sed genus diuersum, &c. Quibus verbis plane ostendit, se nequaquam de ijs loqui, quae gigni possunt ex coitu; sed de ijs duntaxat, quae ex sola putrefactione materia prodeunt. Tum ex capite primo lib. quinti de animalium historia; ubi agens de horum ipsorum animalium coitu, quae ex putredine nascuntur; Ex illis, ait; gigni semper diuersum quidpiam, quod nihil amplius generet: Ex coitu scilicet pediculorum lendes; ex coitu muscarum vermiculos; ex coitu pulicum aliud quoddam genus vermiculorum, quod oui speciem praeferat. Et capite 24. & 86. libri 6. Cum in Syria mulas narraffet, & coire, & parere; statim adiecit, eas alterius generis esse. Dis his haecenus.

TEXTVS.

*Ita ut dicitur in his uerbis, quod natura desiderat operari, natura desiderat operari, quae natura desiderat operari.*

*Ut ipso semper & diuino participant, quatenus possunt. Omnia enim illud appetunt, & illius causa agunt omnia; quacumque secundum naturam agunt.*

COMMENTARIVS XXXIX.

**F**inalem tandem causam adiungit, propter quam huiusmodi operatio sibi simile procreans a natura uiuentibus tributa sit. Ea est, ut quoquo modo participant esse diuinum, & quoad fieri potest, semper sint; Quemadmodum Deus & diuina entia sempiterna. Omnia enim maxime appetunt esse: Animalia quidem, & quae cognitionem habent, elicit appetitu, caetera natura instinctu. Et ideo modis omnibus conseruationem sui procurant: hucque tandem natura omnem suam operam confert. Quod quia in individuo ita assequi non possunt ut semper sint, in specie saltem id conantur; aliud gignendo sibi simile, quod post interitum sui in natura subsistat. Longiorem hac tractationem postulant; sed ea in opportuniorem locum differatur. Etenim harum facultatum tractationes principium erit in tex. 42.

DIGRESSIO XVIII.

*De Inanimorum corporum generatione.*

**N**unc praetermittendum non est, quod hanc gignendi facultatem ita putauit Philosophus omnibus natura constantibus instam esse ut quod omnia perpetuitatem quaerunt elementis quoque lapidibus, metallis, & omnino inanimis omnibus ita necesse uoluerit; ut triplici quasi gradu constet: Obscurius insit in elementis & mistis inanimis, atque adeo in plantis ac stirpibus, in quibus nullus est sensus, aut appetitus, cuius stimulus incitentur in uenerem, sed solas naturae instinctus. Manifestius in bestiis, quae sensu ac desiderio commouentur, & sollicitantur. Perfectissime in homine, qui sobolis quoque successiorem habet in hac functione propositam. Sed rursum primum gradum tripartitum fecit. Remissior enim est & imbecillior in rebus inanimis haec facultas, quam in arboribus & plantis. Atque in mistis remissior adhuc, quam in elementis. Quoniam haec, dum vicissim agunt, id, quod est potentius, imbecillius alterum in suam naturam commutat. Non ita lapides & metalla. Haec tamen ipsa, si accipiantur singula, sunt uelut animalium partes: si tota illorum integritas consideretur, uelut integra animalia. Quare, ut genitrix vis non

*Philosophus in sententia de gignendi facultate.*